



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

Ad præsentem beatissimi patris ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

I.



D præsentem beatissimi patris nostri VIRGILII memoriam, superna beatorum spirituum curia, & cœlestis mater nostra congratuletur Ecclesia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter assumptione dominatur, multorum multo fœlicius, per eam filiorum quotidie acquisitione multiplicatur. Exultet & supernæ civitatis filia, in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum iam sibi videt in cœlis, quem pastorem habebat in terris, quem sicut in via ducem, sociumque laboris acceperat, sic per eius suffragia particeps ipsius consolationis in patria fieri non desperat; præcipua vero ac singulari lætitia ad tanti viri præconia, nostra specialiter concurrat SALZBURGENSIS Ecclesia, quam ab idolatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipse in KARINTHIA verbo prædicationis excoluit, sanctitatis exemplo fecundavit, & miraculorum insignibus mirabiliter adornavit. Ecce summi patris agricola, sicut oliua in domo domini fructifera, quod seminavit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot spiritales domino filios, verbo salutis peperit, quasi tot animarum manipulos veniens in Resurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis dominicæ pecuniæ dispensator & prudens, in gaudium domini sui intromissus fœliciter exultat, quia suscepta verbi mensura familiam domini fœliciter aluit, & sapienter instruxit, qui collatum sibi divitiarum gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum domino restituit, ad cuius vitam temporalem inuestigandam miracula, quæ per eum dominus operatur, nos diligentius hortantur.

Psalm. 51.  
Psalm. 125.

Luc. 12.

BEA